



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per  
Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Confessis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

*De confessis.*

T 1 T. XXV.

**H**Ac tenus diximus de reo contumace: sequitur ut de confitente dicamus.

Confitetur quis vel *in jure*; & *Iudicialis* dicitur confes-  
sio; c. 1. si quandoque. 15. qu. 6. c. 2. hic. c. præterea.  
10. de *transact.* vel *extra judicium*; & *Exrajudicialis*  
dicitur.

Non tantum ore fit, sed & rei evidentiâ, contuma-  
cia nimiâ, paciscendo super crimen, taciturnitate: Nam  
quit acut, consentire videtur, puta, si in jure id faciat,  
& judici interroganti contumaciter respondere nolit; vel  
ab adversatio allegata non neget. d. c. 1. si quandoque.  
cum c. seq. 15. qu. 6. c. tua nos. 8. & c. ult. de cohabit.  
*Cleric.* & mul. c. nullus. 4. c. nonne. 5. de præsumt.

Nocet confessio tantum ei, qui confessus est, non aliis.  
c. 1. hic.

Non tamen omnis confessio nocet confitenti, sed tan-  
tum ea, quæ à domino litis, majore viginti quinque an-  
nis, sanæ mentis, contra se, in jure, coram competen-  
te judge, & adversario, aut ejus procuratore, liberè,  
sponte, & scienter facta. *Lanfr.* in c. quoniam. verb. con-  
fessiones. num. 18. & 15. de probat. *Hostiens.* in Sum. hic. §.  
qualiter.

Quæ & tum demum valet, si nec naturæ, nec juri ad-  
versetur; & certum, vel incertum, cuius incertitudo de-  
clarari possit, contineat. c. 2. & 3. hic. d. c. 1. si quando-  
que. 15. qu. 6. d. c. præterea. 10.

Confessio facta revocari nequit, nisi ex continenti,  
c. præterea. 7. de testib. cog. aut nisi quis errore lapsus,  
quem ante sententiam probet. c. fin. hic. Non post sen-  
tentiam: nisi fuerit appellatum. l. sub prætextu. C. de  
*transact.*

In appellationis enim causa, cum novis allegationibus,  
defensio-

defensionibus, & peremtoriis exceptionibus, in prima instantia omissis, utiliceat, errorem etiam in ea commissum, licet corrigere. Quia hoc ipsum est peremtoriam exceptionem proponere. c. fraternitatis. 17. de testib. & attestat. c. cum Ioannes. 30. de fid. instrum.

Confessio repentina, calore iracundiae puta effusa, non obligat: & statim revocari potest. Panorm. in c. cum venerabilis. 6. num. 12. de except.

Vt & ea, quae ante litem contestatam facta, Lanfr. in d.c. quoniam. num. 32. utpote extra judicialis.

Quae vim probationis plenam non inducit; sed tantum in causa criminali indicium facit ad torturam contra confidentem; Bart. & Gl. in l. capite. 25. in pr. ff. ad leg. Iul. de adult. non alium. c. 1. hic. l. fin. C. de accus. in civili, si ex aliqua certa causa, coram adversario & testibus facta, vim pacti obtinet. Canon. in c. per tuas. 10. de prob.

Iudicialis confessio habet vim sententiæ; c. 7. nunc autem. dist. 21. l. 6. §. 2. ff. hic. l. 56. ff. de judic. 18. adeo ut in confessum, si judex de plano sine forma judicii procedat, sententia postea non sit ferenda: l. 6. §. ult. ff. hic. est, si ordine judiciario procedat; l. 3. 4. §. ff. eod. l. ult. C. de exec. rei jud. ut & in criminalibus. l. 5. ff. de cust. & exhib. reor. Bald. in l. fin. C. de edend. vide Aphorism. nostr. ad Digest. hoc. tit.

### De Probationibus.

#### T I T. XXVI.

**C**Vm dictum sit de Reo contumace vel confitente, sufficeret, ut dicatur de Reo insciante.

Contra hunc debet Actor probare, quod intendit. Auctore enim non probante, Reus, etiamsi nihil praestiterit, absolvitur. c. un. ut Eccles. benef. sine. dim. c. cum Ecclesia. 3. de caus. poss. & propr. c. fin. de jurejur.

Probare, est rei dubiæ in judicio fidem facere. c. forus. 10. §. causa. de verb. signif.

Pro-